

cum ipsius nostri redemptoris humane assumptionis forma, quo, ac si iam positus ante tribunal districti iudicis, humi prostratus, se suosque, quos usque in ultimum diem Deo disponente gubernaverat, sub obtentu orationis Iesu Christo commendat. Postmodum dominici perceptione corporis et sanguinis suum muniens viaticum, dolentium ulnis et merentium manibus refertur ad lectum, ubi inter discipulorum brachiis¹⁾ animam efflavit.

72. Et post matutinalem²⁾ sinaxim, iam inlucesciente crepusculo diei, duo adveniunt fratres nostrę congregationis scilicet Walterius atque Arnaldus, ipsius loci prepositus, post eum monastici regiminis cathedra sublimatus, qui, post biennalem suscepti regiminis amministrationem, cucullatę deceptionis pravo elusus suasu, absque ullius culpe oppositione, honore expoliatus, loco pulsus, iam novennali exilio detinetur. Quod quomodo qualiterve evenerit, si temporis felicitas arriserit, posteris relinquetur in scriptis. Hi ergo intolerabilem dolorem tabulę tinnitu consonant, venerabilemque patrem Gauzlinum obisse nuntiant. Quis enim potest effari, qui luctus, qui dolor omnem nostram sanctam corripuerit congregationem? 73. Tunc prefatus Walterius surgens in medium coram non quidem a semetipso, sed tamen propheticum intulit proloquium: 'Hae', inquires, 'ad horam ponantur lacrimae, fundendas predico futuro tempore, vobisque ad presens consulite'.

Attamen quis inundantes oculorum quisset restringere imbres, cum eo die hinc propheta hortaretur: 'Lętare Hierusalem et diem festum agite, gaudete cum lęticia, qui fuistis in tristitia et consolemini ab uberibus consolationis eius'; inde prestolaretur extincti pastoris adventus? Quod gaudium, quę lęticia, quę consolatio posset arripere omni gaudio viduatos, omni consolatione privatos?

74. Post haec, ut ipse adhuc vivens preceperat, navi impositus itinere retrogrado ad vetus Floriacum usque deducitur, ubi summa cum diligentia, more tamen funereo, curatus, lętica impositus, pro dolor! ad suos revertitur. Quem Floriacensis contio suscipit, passim effusis lacrimis versisque lęticie modis, cum utriusque sexus conventu, lugubres iubilos pangit. Stipatus igitur cuneis filiorum conventuque lacteę caniciei senum, tota nocte pervigili psalmore deploratur melodiis. Porro adveniente sequentis diei hora tertia, ad dexteram altaris Dei genitricis partem tumulariam adeptus est sepulturam. Cuius super sepulchrum unus suorum spiritalium tyronum inter angores dolentium pede dactilico hos profudit versiculos:³⁾

O Gauzline pater, spes inclita, presul et abba,

Iunctus Floriaco conderis ecce solo!

Lęticie palma, quorum cor condecorabas,

Mesticie mestis ora rigas lacrimis.

1) Sic! 2) Hs.: matutinale. 3) Auch in Gallia christ. VIII, 1552 (Delisle).